



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 121. Eboracensis Dux a Successionis jure ex odio Catholicæ Religionis
exclusus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

in rebus sectæ nequidem adversis, sed Sæc. XVII.
Reipublicæ proficuis! A.C. 1679.

§. CXXI.

*Eboracensis Dux a successionis jure ex
odio Catholicæ Religionis ex-
clusus.*

Interim inferioris Curix, seu plebæi *Salmon hist.*
Ordinis Senatores, quod confictæ *d' Angl. t. I.*
conjuratiōi credulas aures unice ex *Rapin Hist.*
odio erga Catholicos præbuerint, nun- *d' Angl. l. 23.*
quam apertius testatum reddidere, nisi
dum Eboracensem Ducem Caroli II.
Angliæ Regis Fratrem a solii jure huc-
usque non audita temeritate exclude-
runt; postquam enim profuso Catholi-
corum sanguine suas manus polluerunt,
necnon innoxios carceribus atque exi-
liis excarnificarunt, fudes adhuc in
eorum oculis erat Jacobus II. Eboracensis
Dux religione Catholicus, pro-
ximus Regni hæres; ergo adversus hunc
die Dominica, haud veriti, *ne tumultus fieret in populo*, unanimi suffragio
ac nemine contradicente concluferunt, quod
Dux, utpote Papista, eo quod conjura-
tis animum addidisset, Successionis
jure privaretur: Ita nempe Puritani
conjuratiōis commentum pro oppor-
tuno Catholicum Regem excludendi
medio, non autem conjurationem tan-
quam

Sæc. XVII. quam causam hujus exclusionis diu
A. C. 1679. præmeditatæ habebant: id haud in-
 cognitum erat Regi, unde eorum te-
 meritate summe offensus, cum probe
 prospiceret, Sanguinarios hosce adhuc
 atrociora molituros, responsum dare di-
 stulit: ut tamen eos nonnihil magis
 humanos redderet, Duci Fratri suo in-
 junxit, ut intra octiduum e Regno Bru-
 xellas secederet: postea trigesima Apri-
 lis die huic Parlamento pollicitus est,
 se Pontificii successoris auctoritatem
 adeo circumscripturum, ut nihil mali
 Anglicanæ religioni inferre posset: Ec-
 clesiastica enim omnia beneficia & di-
 gnitates eo modo conferenda esse, ut
 omnino certum sit, ea nonnisi Protestan-
 tibus piis & eruditis esse collata, eaque
 impediendi potestatem nec penes ipsum
 Regem fore: nullum Papistam locum
 in privato Senatu occupaturum, nec
 iudicis munere functurum; durante au-
 tem Papistæ Successoris regimine, ni-
 hil actum iri, nisi auctoritate Parla-
 menti, pariter in militia Rege obeunte,
 ubi cessat Parlamentum, penes præ-
 cedens conventus habendi jus fore,
 absque nova electione vel convocatio-
 ne, paratum quoque Regem esse, pro
 Regni securitate, si quid aliud in sub-
 ditorum rem cederet, vel a Parlamento
 excogitari posset, efficere: Vix arctio-
 ribus

ribus cancellis suprema Regis Catho- Sæc. XVII.
A. C. 1679.
lici potestas, quæ neminem in terris

se superiorem præter Deum habere ja-
citur, a suo Senatu seu subditis re-
stringi potuisset: nihilominus tamen
Puritani Senatores, quibus legitimum
Successorem ob Catholicæ Religionis
notam omnino a folio arcere, firmum,
fixumque erat, die vigesima quinta
Mensis Maij decretum condidit, vi
cujus Eboracensem Ducem ad succe-

dendum in Angliæ throno inhabilem *Hist. de
Jacq. II.
Mem. de la
dem. revol.
d' Angl. t. II.
pag. 6.*
declarat, perinde ac si certæ juris
naturalis violationi dubium prædomi-
nantis sectæ periculum prævalere posset.
Eapropter ab ipsis Anglis æqui bonique

studiosis hi Senatores pro infatuatis ha-
bebantur, qui simulato Religionis a-
more Divinas, humanasque leges con-
culcare haud vererentur, alii illos no-
vitatis ante Henrici VIII. schisma nun-
quam auditæ insimulabant, indignan-
tes, quod Regni Successorem, eo quod
Catholicus esset, excludendo, ipsius
suxæ sectæ infantiam nimis aperte pro-
derent; quod vero ipforum decretum
nil nisi teterrimam odii & malevolen-
tiæ pestem exhallarit, ex ipsius verbis
elucet: „Quia, inquiebant ipsi, Emis-
sarii Papæ, Sacerdotes, ipsiusque Pro-
curatores Jacobum Eboracensem Du-
cem proximum regni hæredem seduxe-

Hist. Eccles. Tom. LXIV. Ee „runt,

Sæc. XVII. „runt, illumque ad amplectendam Ec-
A. C. 1679. „clesiæ Romanæ communionem indu-
 „xerunt, eique Authores exstiterē, ut
 „cum Pontifice, Cardinalibus & Nū-
 „tiis ad promovenda Religionis Catho-
 „licæ negotia, varia agitarēt consilia,
 „hique ejus auctoritate suffulti, Regis
 „Franciæ potentiam non sine manifesto
 „Angliæ discrimine auxerint, tandem
 „que Principe Catholico ad solium e-
 „levato, necnon inito cum exteris fir-
 „dere eorumque suppetiis damnanda
 „eorum molimina ad exitum deductum
 „essent (*) . . . quocirca, auctori-
 „tate Regis, (**) ac utriusque Par-
 „menti decernimus, I. præfatum ja-
 „cobum ad hæreditatis jus in Angliæ,
 „Scotiæ & Hiberniæ Regna ineptum,
 „& juribus, titulis, prærogativis, præ-
 „fatorumque Regnorum proventibus
 „fruendi incapacem esse. II. Si Res
 „obio

(*) An non hæc omnia meris suspicionibus
 conjecturis, & pro more & arbitrio contra
 Papam &c. excogitatis commentis innitan-
 tur, Lector a partium studio alienus dijudi-
 cabit, saltem in re tanti momenti Senatores
 non nuda verba, & frivolas accusationes,
 sed validas earum probationes adducere de-
 buissent.

(**) Quam falso Regis consensum addu-
 cant, ipsius oppositio probat.

Sæc. XVII.
A. C. 1679.

„obierit, aut regimini cesserit, hæc Re-
 „gna ad illum, qui successionis ordine pro-
 „ximus, esse devoluta, perinde ac si Dux
 „haud ultra vita superstes foret. III. Om-
 „nia, quæcunque Dux sub obtentu Re-
 „giæ potestatis, attentaturus esset, non
 „modo irrita, sed ipsum etiam tanquam
 „perduellionis reum esse plectendum.
 „Quemlibet, qui deinceps hunc Du-
 „cem in cuiuspiam Regni possessionem
 „inducere, aut hunc in finem cum illo
 „conferre ausus fuerit, læsæ Majestatis
 „reum fore. V. Si idem Dux vel
 „unico pede in aliquod ex his Regnis
 „redire attentarit, pariter ejusdem
 „criminis reum haberi, atque eundem
 „comprehendere, captumque detinere
 „cuilibet integrum esse, si vero Dux vel
 „ejus fautores resisterent, armorum vi
 „esse coercendos.„ Hoc edictum non-
 nullis adeo iniquum videbatur, ut ex
 trecentis triginta quinque suffraganti-
 bus centum viginti octo reclamarent.
 Ne vero Rex a sanguinariis hisce plebæi
 Ordinis Senatoribus ad confirmandum
 hoc decretum adigeretur, Parla-
 menti Sessiones usque ad Mensem
 Novembrem anni sequentis proroga-
 vit, non sine maxima Senatorum
 indignatione, quam sat luculenter
 testabantur sparsis in vulgus libellis fa-
 mosis, quibus Regem populo exosum

E. e 2

red-

Sæc. XVII. reddere satagebant, ac feralem scæ-
A. C. 1679. nam, qua anno hujus sæculi quadra-
 gesimo Carolum I. Regem suum ambi-
 tioni, invidiæ ac furori suo immola-
 bant, in Carolo II. renovare niteban-
 tur, nefando sub obtentu, quod Re-
 auctoritate sua Regia in Regni ac Re-
 ligionis ruinam abuteretur: hoc autem
 colore continuas suas conspirationes in
 Regem, quas Catholicis imputabant,
 honestare, ac sanguinariam doctrinam
 de licita Regis Tyranni occisione in
 ipsis adoptatam in usum deducere non
 erubuere: Nihilominus Rex fratrem
 suum Ducem sine legitima causa ex-
 lare jussu in Angliam se revocasse Pa-
 rlamento significabat, eo quod ipsius pe-
 tissimum interesset, ut præsens, qui
 in eum attentarentur, percipere possent.
 Tum vero quidam Proceres ad omnes
 formam mutabiles, Regi libellos offe-
 rebant, in quibus adversus temerarium
 Parlamenti ausus vehementer declama-
 bant, inde vero resuscitatæ fuerunt
 factiones, quarum una Regiis partibus
 addicta *Torys* seu latrones a reliquis
 vocabatur, altera vero *Whiggs* seu re-
 gidi dicebantur: Postremæ hujus fa-
 ctionis Dux erat Schaftburgus Comes
 qui, ut Ducis Eboracensis exitium mo-
 turaret, Monmuthum Ducem legiti-
 mum esse Regis Filium in vulgus ipse
 gebat.

gebat, asserens, Carolum Regem vero Sæc. XVII.
 matrimonio junctum fuisse Walteræ A. C. 1679.
 Monmuthi Ducis Matri, hujusque con-
 jugii tabulas apud Gilbertum Gerardum
 etiamnum in nigra quadam cista asser-
 vari. Tam effrons, tamque ferax men-
 daciorum illo ævo erat Calviniana ra-
 bies! quo autem hoc commentum spe-
 ctaret, haud ignorabat Rex, ac pro-
 pterea Gerardum coram pleno Senatu
 adesse jussit. Hic vero interposita ju-
 ramenti religione palam profitebatur,
 nunquam sibi ejusmodi tabulas fuisse
 consignatas, nec unquam ea de re se
 quicquam inaudiisse, cujus testimonio
 legitime comprobato Rex publico edicto
 declarabat, putidum esse mendacium,
 quod vel unquam cum quadam foemina,
 præter Catharinam Conjugem suam Re-
 ginam, connubio junctus fuisset: spe-
 igitur sua delusi factiosi, Castelmairium
 Comitem, quinque Proceres in Londi-
 nensi Turri inclusos, Powisiam Comi-
 tissam, pluresque alios Catholicos ac-
 cusabant, perinde ac si in Presbyteria-
 norum odium ad Oatis exemplum no-
 vam conjurationem contra Regem ad-
 invenissent, re autem discussa omnes,
 qui hujus commenti inventores dice-
 bantur, tanquam innocentes declarati
 & Oates ac Dangerfieldus novi hujus
 commenti Architecti tanquam impostor-

Sæc. XVII. res rejecti sunt. Reipsa autem Presbyteriani in Scotia seditionem concitarunt. A. C. 1679. quam tamen partim captis, partim caesis, dissipatisque rebellibus idem Monachus Nothus Regis Filius extinxit. atque Eboracensis Dux in Scotiam a Rege missus, sua vigilantia morumque comitate hujus Regni pacem, tranquillitatemque restituit, & factiosos ad officium tam prospere revocavit, ut Scoti datis literis Regi testarentur, quod Deum tanquam legitimum Regni heredem agnoscerent, atque iniquam ejus exclusionem a Parlamento factam abolirentur.

§. CXXII.

Varia Innocentii XI. Pontificis Maximi gesta.

Gottfrid.
cont. Hist.
Chron. t. 3.
lib. 9.

Cum Franciæ Rex pace recens firmata, non modo rursus in Belgia & Alsatia hostiles motus faceret, sed etiam ingentem armorum apparatus in Italiæ finibus contraheret, summus Pontifex magnum inde dolorem concepit, deploravitque, quod Christianos Principes ad mutuam concordiam, & jungenda arma contra Turcas jam cum numerofo exercitu advolantes inducere haud posset: nihilominus nondum animum despondens, Franciæ Regem